Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 3
Quelle:
Copyright:

Ad Paulinum Presbiterum De Omnibus Divine Historie Libris. Hujus Epistolae haec verba miniata: *Frater Ambrosius Tua Michi Munuscula Perferens Detulit* totam columnam tertiam folii tenent, litera prima F. speciose expicta paginam, quanta est, emetiente. At vero *folium* sequens, seu 2. manu, ut videtur, Seculi XIII. subpletum est. Neque id solum damni fecit praestantissimus *Codex*, sed, ut jam hic colligam, post *fol.* 54. de *Deuteronomio* folium unum, post *fol.* 56. de eodem sex, post *fol.* 103. de *Libro III. Regum* sex, post *fol.* 112. de *Isaia* sex, post *fol.* 142. de *Ezechiele* octo folia evulsa sunt. Epistolam porro *Hieronymi* excipit ejusdem Prologus in Pentateuchum: *Desiderii mei desideratas* &c. ita inscriptus: *Incipit Prephatio Sancti Jeronimi Presbiteri In Historia Pentatheucum Moysi.* Tum succedit Elenchus Capitulorum *Geneseos*, quae numerantur XLVI. Titulus Geneseos: *Incipit Liber Bresith Id Est Genesis.* Verba: *In Principio Creavit Deus Cęlum Et Terram*, totam columnam primam *fol.* 5. sibi vindicant litera prima I. eleganter picturata, ut sunt reliquorum etiam librorum initiales literae. *Fol.* 22. *Incipit Liber Exodus.* Capitulor. XXII. *Fol.* 34. *Incipit Liber Leviticus.* Capitulor. XVI. *Fol.* 44. p. 2. *Incipit Liber Uagedaber Id Est Numerorum.* Capitulor. L. *Fol.* 54. p. 2. *Incipit Liber Deuteronomium.* Additur inscite: *ebraice eldeadabarim quod grece dicitur deuteronomium. Latine autem iteratio Legis Lationis.* Capitulorum nulla hic mentio. *Fol.* 57. praemisso *Hieronymi* Prologo, *Incipit Liber Ihesu Nave. Fol.* 65. *Incipit Liber* (sic) *Sophim Id Est Judicum. Fol.* 73. p. 2. *Incipit Liber Ruth. Fol.* 75. praemisso *Hieronymi*, quem *Galeatum* vocant, Prologo, et Capitulor. XLIII. Elencho, *Incipit Regum Liber I.* Ita *fol.* 87. *Liber* II. Capitulor. XLVII. et ad calcem dictus *Samuhel II. Fol.* 96. *Liber* III. absque Capitulorum censu. *Libri* IV. initium, ut jam dictum, excidit, atque ad hujus calcem simpliciter legitur: *Explicit Liber Regum.* Hinc porro Scriptor ad *Prophetas* transiit, praevioque brevi Argumento, et *Hieronymi* Praefatione, *fol.* 112. *Incipit Liber In Isaia Propheta. Fol.* 121. praemissa pariter Praefatione *Hieronymi* absque titulo *Jeremias* sequitur cum *Baruch, fol.* 142. cum Prologo *Incipit Jezechiel Propheta, fol.* 152. pariter, cum Prologo *Incipit Liber Danielis Prophete*, qui in XII. *Visiones* tributus est, caretque ultimo illo v. *Tunc rex ait: Paveant omnes habitantes* &c. *Fol.* 159. sequuntur XII. *Prophetae* minores, singuli Praefatiuncula et Argumento, prout in *Bibliis* nostris *Glossatis*, instructi, textu absque ulla Capitum distinctione decurrente. Demum *pag. ult.* Codicis *Incipit Prologus Et Origo Prophetie David Regis Numero CL.* Inepta compilatio de Autoribus, Numero, Titulis, Significatu et Ordine

Psal-